


ferturq; propterea Pontifex in vincula coniectus, amicis tamen procurantibus, ac falsis custodibus, custodia elapsus, venisse in Franciam, à quibus officiosissimè exceptus, Balbum Augustum creauit, ac Diademate coronauit, anno salutis DCCCLXXXVIII. Imperio autem Valetudinarius princeps vix biennio præfuit. Treucis enim decumbens paucis interiectis diebus, morte absumptus est, relictis liberis ex Aufgarda, Ludouico, & Carolomanno, & Carolo simplici, ex altera.

Numismatis huius latus posteriorius repræsentat victoriam alatum, dextra crucem gestantem, cū inscriptione tali: V O T. XX. M V L T. XXX.

A V S G A R D A M nobilem quandam puellam in flore iuuentutis, coniugii fœdere in scio patre sibi copulauit Ludouicus, quam unicè dilexit, & ex ea duos liberos præstantes forma, atque animo iuuenes suscepit, Ludouicum scilicet & Carolomannum. Coactus autem est à patre repudiare eam, quòd sine voluntate eius duxerat: & interposito iuramento solenni, ne vnquam eam reciperet.

Repudiata Aufgarda, A D A L H E I D E M pater in matrimonium Ludouico dedit, quam grauidam Ludouicus, cū obiret, reliquit. Sed quæ expleto partu genuit Posthumum, cui nomen aui imposuit, & dictus est Carolus simplex, Rex Franciæ.



C A R O L V S I V N I O R, cognomento C R A S S V S à corporis habitudine, princeps Christianissimus, totusque religioni deditus, Deo omnes suas actiones, atque eius arbitrio cuncta deuou